

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1228

Auteur(s) : Bayeux (official)

Bénéficiaire(s) : Bayeux (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1264, 25 juillet

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Reconnaissance devant l'official de Bayeux par Jean dit Recuchon de la vente par lui faite du manoir du Quesnay à Tessy-le-Gras (?) et de tout ce qu'il a à Aubigny.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Bourrienne Valentin (Abbé), *Antiquus cartularius ecclesiae Baiocensis (Livre noir)*, Rouen-Paris, Lestringant-Picard (Société de l'histoire de Normandie), 1902-1903, 2 vol., n° CCCCXLVII, t. 2, p. 176-177.

Texte établi d'après a

Universis præsentes litteras inspecturis, officialis Baiocensis salutem in Domino. Universitati vestræ notum facimus quod coram nobis, personaliter constitutus, Johannes dictus Recuchon, miles, recognovit spontanea voluntate se vendidisse et concessisse capitulo Baiocensi, pro quadringentis (sic) libris Turonensibus quas a dicto capitulo habuit et recepit in pecunia numerata, videlicet, totum manerium suum quod vocatur Le Quesnay, in parrochia de Tasseio, Baiocensis dyocesis, cum omnibus pertinentiis dicti manerii, et quicquid sibi vel suis hæredibus posset accidere in eadem parrochia, tam in terris, pratis, nemoribus, redditibus et regardis, quam in hominibus, homagiis, serviciis et omnibus rebus aliis, et quicquid habebat similiter dictus miles et habere poterat et debebat apud Aubigneium, in parrochia de Kahagnes, posset evenire seu accidere de cetero, quoquomodo ; tenenda et habenda prædicto capitulo hæc omnia supradicta, bene et pacifice, absque contradictione et reclamatione ipsius militis de cetero et hæredum suorum, libere et quiete ab omnibus redditibus, serviciis et actionibus sibi et suis hæredibus pertinentibus, salvo jure domini capitalis, videlicet, duobus solidis Turonensibus tantum-modo domino Regi, annis singulis, persolvendis ; tali modo quod prædictus miles et hæredes sui tenentur et debent prædicto capitulo prædictam venditionem et concessionem garantizare et defendere contra omnes, et excambiare alibi, in propria hæreditate sua, ubicumque fuerit, valore ad valorem, si necesse fuerit, competenter, pro pecunia prædicta quam exinde a dicto capitulo habuit et recepit. In cujus rei testimonium nos, ad petitionem dicti militis et de ipsius voluntate et consensu, præsentibus litteris, secundum tenorem cartæ dicti militis dicto capitulo traditæ de præmissis, sigillum curiæ Baiocensis duximus apponendum. Valet. Datum et actum, de consensu partium, anno Domini millesimo ducentesimo sexagesimo quarto, die veneris post festum beatæ Mariæ Magdalenes.